

« dierna capitulorum constitutio non sit juri antiquo omnino  
 « conformis, eorum nihilominus statuta ipsis virtute auctoritatis  
 « apostolicæ per cardinalem subdelegatæ ab Episcopis data,  
 « nec non ab eodem cardinali legato sufficienter approbata, et  
 « aliunde per diuturni temporis usum confirmata, observanda  
 « esse declaramus, quoadusque Sancta Sedes aliter statuerit. »  
 Decret. V, *de Capitulis*.

ARTICULUS IV. — DE OBLIGATIONIBUS CAPITULORUM ET  
 CANONICORUM.

399. — I<sup>o</sup> *Quæ sint obligationes capitulorum cathedralium?*

Obligationes capituli cathedralis oriuntur ex multiplici fine ad quem institutum fuit:

1<sup>o</sup> Ratione officii choralis, tenetur providere celebrationi quotidianæ divinorum officiorum, et missæ conventualis. Hæc obligatio specialius incumbit dignitatibus capituli, quarum munus est procurare observantiam disciplinæ: at si dignitates negligenter sua obeant munia, obligatio omnes in solidum urget; adeo ut quisque teneatur, quantum in se est, prospicere bono communi, exemplum ipse exhibendo, et promovendo in comitiis capitularibus reformationem abusuum.

2<sup>o</sup> Debet honorem Episcopo deferre; primam sedem in choro, et in conventu capitulari eidem reservare, atque pontificalia exercenti adistere. Concilium Tridentinum statuit: « Episcopis ubique is honor tribuatur qui eorum dignitati par est; « eisque in choro et in capitulo, in processionibus, et aliis « actibus publicis, sit prima sedes, et locus quem ipsi elegerint... Canonici compellantur... Episcopo celebranti aut alia « pontificalia exercenti adistere et inservire. » (Sess. xxv, cap. vi; sess. xxiv, cap. xii, *de Reform.*)

Ex decretis concilii et ex variis decisionibus S. Congregationis Rituum, sequitur 1<sup>o</sup> non titulo urbanitatis, sed ex officio, capitulum teneri ad adsistendum Episcopo illumque euntem et redeuntem, pro divinis officiis, associandum; 2<sup>o</sup> obligationem urgere, non tantum quando Episcopus pontificaliter celebrat, sed etiam quando alias functiones pontificales exercet, puta, si Ecclesiam consecret; si sacros ordines conferat, etiam privatim, quo casu tamen non omne capitulum, sed duo aut tres solum canonici assistere tenentur; si conficiat sanctum chrisma; si solemnem concionem habeat; 3<sup>o</sup> capitulum teneri adsistere Episcopo, etiam extra Ecclesiam cathedrallem, in aliis Ecclesiis urbis et suburbaniorum, eo tamen cum moderamine ut ob absentiam plurium canonicorum non perturbetur officium chorale; 4<sup>o</sup> demum teneri accedere ad Episcopum quando in Ecclesiam venit rei sacræ peragendæ causa, illumque cappa indutum e sua camera, seu ex aula quam designaverit progredientem, comitari et deducere usque ad portam primariam Ecclesiæ. Si tamen domus episcopalis non sit sacris ædibus contigua, sed certis spatiis distet, sufficit ut canonici Episcopum deducant e loco prope Ecclesiam sito, vel ab exterioribus atriis. Qui autem ritus in susceptione Episcopi servantur, prout venit solemniter cum cappa, aut privatim rochetto et mozetta indutus accedit ad assistendum divinis officiis, quoniam ordine omnes procedant in eundo et redeundo, explicatur in *Cæremionali Episcoporum*; lib. I, cap. xv.

3<sup>o</sup> Capitulum tenetur auxiliari Episcopo in regimine diocesis, atque eidem diocesi providere sede vacante, sicut alibi explicatum est: unde sequitur canonicos debere in cætum convenire quando Episcopus illos convocat, et negotiis quæ illis commiserit ad bonum administrationis diocesanæ curam impendere.

400. — II<sup>o</sup> *Quæ sint obligationes canonicorum?*

Canonicorum præbendatorum obligationes sunt: 1<sup>a</sup> emittere professionem fidei; 2<sup>a</sup> residere in urbe episcopali; 3<sup>a</sup> assistere



choro et ibi per seipsos divina officia obire; 4<sup>a</sup> applicare alternis vicibus missam conventualem juxta intentionem Ecclesiæ; 5<sup>a</sup> convenire in cœtum capitularem quando rite convocantur. Canonici honorarii non sunt iisdem obligationibus stricto jure obnoxii; cum tamen capitulo cooptentur, ac pro suo ordine honoribus decorentur ac si essent præbendati, omnino decet ut, quando in urbe episcopali actu degunt, chorum assidue frequentent et in divinis officiis celebrationeque missæ conventualis sua vice fungi studeant.

401\*. — I. PROFESSIO FIDEI A SINGULIS CANONICIS EMITTENDA.

Concilium Tridentinum, injuncto omnibus provis de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus onere faciendi publicam suæ fidei professionem, subjunxit: « Provisi autem de « canonicatibus et dignitatibus, in Ecclesiis cathedralibus, non « solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capi- « tulo idem facere teneantur; alioquin prædicti omnes provis « fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » Sess. xxiv, cap. xii, *de Reform.*

Canonici professionem emittere tenentur juxta formam a Pio IV præscriptam in Bulla *Injunctum nobis*; et quidem ad minus intra duos menses a die adeptæ possessionis<sup>1</sup>.

// Disciplina concilii olim accurate servabatur; quinimo illius observantiam præscripserant edicta regia<sup>2</sup>. Cur in desuetudinem venerit ignoramus, nisi forte quod motiva legis minus urgere visa fuerint; non idem quippe imminet periculum, ac tempore concilii Tridentini, ne intrudantur in beneficiis clerici veneno hæresis infecti. Verumtamen cum magnopere expediat, ut omnes qui in publicum officium Ecclesiæ assumuntur, fidem suam et reverentiam atque obedientiam erga Apostolicam Sedem profiteantur, optandum est hanc saluberrimam disciplinam, ubi desueverit, instaurari.

<sup>1</sup> Hæc professio fidei exscribitur in *Pontificali: Ordo ad Synodum*.

<sup>2</sup> Cf. Durand de Maillane, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> *Profession de foi*; — Fromageau, *Dictionnaire des cas de conscience*, v<sup>o</sup> *Bénéfices*, cap. ii.

\*402. — II. RESIDENTIA.

De residentia statuit concilium Tridentinum: « Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis, dignitates, canonicatus..., non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, « ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; « salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus quæ « longius servitii tempus requirunt. » Sess. xxiv, cap. xii.

Legem pœnis canonicis sancitam esse voluit concilium Tridentinum. Edixit igitur: 1<sup>o</sup> Canonicum qui ultra tempus præfixum, sine causa legitima absens fuerit, privandum fore primo anno dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ et residentia fecit suos; 2<sup>o</sup> si iterum eadem negligentia usus fuerit, privandum fore omnibus fructibus, quos eo anno lucratus est; 3<sup>o</sup> crescente vero contumacia, contra illum procedendum esse juxta sacrorum canonum constitutiones.

Episcopus proinde jure potest privare titulo sui beneficii canonicum, qui per triennium violaverit legem residentia. Sancta Congregatio censuit expectandum esse triennium completum, antequam sententia privationis feratur. Item respondit triennium non incipere a die primæ monitionis, sed a die quo violata fuit lex per culpabilem absentia prorogationem; adeo ut Episcopus procedere valeat contra canonicum non residentem etiamsi illum non monuerit nisi post elapsam spatium duorum annorum. (Ferraris, v<sup>o</sup> *Canonicus*, art. v, n<sup>o</sup> 25.) Sententia fertur præviis monitionibus et citationibus, ut si forte canonicus habeat causas legitimas, eas in sui tuitionem proferre valeat.

Canonistæ communiter tradunt legem residentia violari, non solum quando canonicus absens est ultra tres menses continuos, sed etiam quoties dies absentia, tametsi interpolati per decursum anni, excedunt spatium trimestris (n<sup>o</sup> 419).

403. — Arduam quæstionem movent utrum canonici priventur ipso jure fructibus sui beneficii pro rata parte absentia ultra tempus assignatum; an possint fructus retinere donec prolata sit sententia.



Duplex est opinio. I<sup>a</sup> tenet Ecclesiam conferre quidem canonicatum cum *onere* residentiae, sibi servato jure multandi non residentes privatione fructuum, aliisque poenis; non vero beneficium conferre ea *conditione* ut non faciant fructus suos, si suo officio defuerint. Ita Fagnan, in cap. *Licet*, n<sup>o</sup> 25, DE PRÆBENDIS, qui hanc decisionem asseveranter dedit: « Etsi absentes « percipere non debeant fructus præbendarum, non tamen hoc « ita accipiendum est ut illos perdant ipso jure, imo enim ac- « quiruntur sine facto et ministerio hominis. Sed ita intelli- « gendum est ut privandi sint ad præscriptum Conc. Trid. » Ita Bonacina, *de Beneficiis*, disput. v, punct. iv, n<sup>o</sup> 16. Reiffenstuel, in tit. DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS, n<sup>o</sup> 125. Garcias, DE BENEFICIIS, III<sup>a</sup> part., cap. II, n<sup>o</sup> 151, et cæteri plures. Probant: 1<sup>o</sup> ex concilii textu, qui supponit poenam imponendam a iudice; est enim sensus obvius verbi *privetur*; 2<sup>o</sup> ex contextu decreti, in quo statuitur canonicum non residentem privandum fore primo anno media parte fructuum; quod intelligitur tum de casu quo absens fuerit, v. g., solummodo quatuor mensibus, tum de casu in quo per integrum annum absens fuerit. Exinde infertur canonicum absentem teneri ad restitutionem, non jure naturali, sed jure positivo, post latam sententiam; si enim jure naturali adstringeretur, non mediam partem, sed pro rata parte temporis absentiae restituere teneretur. 3<sup>o</sup> Obligatio restituendi fructus pro rata parte absentiae, ante sententiam iudicis, inniteretur pacto, saltem implicito inito inter Ecclesiam et beneficiarium; at vero non probatur intervenisse pactum hujusmodi, potius quam nudum præceptum subeundi onera beneficio imposita.

// II<sup>a</sup> opinio tenet beneficia conferri sub *conditione* residentiae, adeo ut clericus qui non fungitur suo officio, non possit acquirere dominium fructuum. Ita Suarez, *de Horis canonicis*, cap. XXIX. « Dantur, inquit, clerico fructus beneficii... ut labo- « rando et inserviando Ecclesiae, ab illa, ut par est, sustentetur. « Nec negari potest quin axioma illud sumptum ex cap. ultimo

« DE RESCRIPTIS in VI<sup>o</sup> *Beneficium datur propter officium*, in- « telligatur secundum relationem et correspondentiam, ut sic « dicam, justitiae commutativae qualis est inter stipendium et « opus. » N<sup>o</sup> 8. Ita etiam S. Alphonsus de Liguori, lib. III, n<sup>o</sup> 675; Collator Andegavensis, *sur les États*, conf. II<sup>e</sup>, quest. x, et alii. Probant: 1<sup>o</sup> ex axioma præcitato: *Beneficium propter officium*; 2<sup>o</sup> ex verbis quibus utitur concilium Trident. in suo decreto, ubi decernit canonicos non residentes privandos fore fructibus quos etiam ratione *præbendæ et residentiae fecerunt suos*; unde concludunt beneficiarios facere fructus suos *ratione residentiae*, id est, solummodo quatenus resident; 3<sup>o</sup> auctoritate Benedicti XIV, qui in Brevi citato in *Theologia* sancti Liguori, et ad Card. Delphinum, patriarcham Aquileiensem directo, an. 1748, agens de canonicis sui muneris officia negligentibus, hæc rescripit: « ... Deinde eisdem edicas, et notum « facias nos (quemadmodum per hæc nostras, in forma brevis, « litteras tibi declaramus et injungimus) decernere atque sta- « tuere, sicut in Constitutione nostra (*Cum semper*) innuimus, « ipsos, suosque successores canonicos choro quidem interes- « sentes adsistentesque, minime vero canentes, psallentesve, « nullo pacto ex præbendis et distributionibus facere fructus « suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore. » In Con- stitutione allata Pontifex dixerat: « Jure ac merito verendum « est ne isti dum ita se gerunt, præbendarum ac distributionum « fructus minime faciant suos, et consequenter ne teneantur ad « eorum restitutionem. »

Non videtur quæstionem propositam solutam fuisse auctoritate Sedis Apostolicæ; quandoquidem Constitutio *Cum semper* nihil pronuntiat, sed tantummodo innuit; Breve autem ad Card. Delphinum, haberi potest lex privata indicta diœcesi Aquileiensi. Aliunde axioma *Beneficium propter officium*, non sup- peditat certum argumentum; nam quævis sententia admittatur, omnes æque dicent beneficium dari propter officium. Hoc veris- simum remanet, sive fructus beneficii censeantur stipendium



laboris, sive beneficium conferatur simpliciter cum onere officii titulo annexa rite adimplendi, in sensu supra explicato. Quamvis autem dubium supersit, sequitur ex allatis auctoritatibus male sibi consulere canonicos qui suo officio desunt. Præter quod, in omni doctorum sententiâ, graviter peccant non residendo, *jure ac merito ipsis verendum est*, ut verba repetamus Benedicti XIV, *ne teneantur ad fructuum perceptorum restitutionem*.

\*404. — III. ASSISTENTIA CHORO ET PSALMODIA.

In quo præcipue sit ministerium canonicorum declarat synodus Tridentina: « Omnes qui in cathedralibus vel collegiatis « canonicatum obtinent, divina per se, et non per substitutos, « compellantur obire officia... atque in choro, ad psallendum « instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte « devoteque laudare. » Sess. xxiv, cap. xii.

Dubium non est quin peccent lethaliter qui per tempus notabile, ultra tres menses jure concessos, absentes sunt a choro, v. g., juxta multos, per integram hebdomadam, vel pluribus diebus intermissis per annum. Hæc obligatio omnes horas divini officii complectitur, nullo admissio discrimine inter majores et minores; ex singulis enim horis constat officium divinum quod per seipsos, non per substitutos, obire tenentur, ad præscriptum concilii Tridentini. « C'est en vain qu'on objecte des usages contraires, ait Ducasse; ces usages sont abusifs, parce qu'ils font « un préjudice notable à l'Église, et diminuent le service divin. » (*Tr. des droits des chapitres*, part. I, sect. v.)

Canonici qui præsentibus choro assistunt, at privatim officium recitant, aliisve exercitiis mentem apponunt, nec in cantu cæteris se adjungunt, non satisfaciunt legi, nisi vera et seria ratione infirmæ valetudinis excusentur. In vanum objicient inveteratas consuetudines et exempla plurium canonicorum pietate et doctrina quantumvis commendabilium. Nulla consuetudo prævalebit contra obligationem ita titulo canonicatus connexam, ut præcipuum sit illius officium. Testatur Benedictus XIV

illorum opinionem, qui contendunt canonicos munus suum satis implere dum choro adsistunt, nunquam examinatum esse in S. Congregatione concilii « quin statim fuerit explosa et im- « probata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fun- « damentis et rationibus innixa perhiberetur. » (*Const. Cum semper*, § 24, an. 1744.)

Utrum vero requiratur ad legis observantiam cantus divinarum officiorum, an sufficiat ut preces recitentur in choro, res est determinanda juxta statuta et consuetudines. « Horæ canonicæ, ait Benedictus XIV in litteris apostolicis ad Ecclesias « Italiæ directis, pro more et instituto cujusque Ecclesiæ cantantur seu recitentur, prout decet ac convenit, ab iis qui ad « eas tenentur. » (*Breve Annus*, an. 1749.) S. Congregatio Rituum respondit ad dubia proposita: *Quoad Vesperas et officium satis esse, si canonici illud recitentur alta, intelligibili et distincta voce*. Alias, cum Episcopus mandavisset ut psalmodia fieret in cantu plano festis solemnibus, Congregatio respondit: *Canonicos debere in hoc parere Episcopo*. (Gardellini, n° 287, an. 1606; et n° 1689, an. 1655.) Spectato igitur jure communi, sufficit ut canonici officium recitentur clara et distincta voce in choro; si vero statuta capituli, inveteratæ consuetudines, vel mandata Episcopi requirant ut officia in cantu plano celebrentur, his standum est. De missa, an cum cantu celebrari debeat, mox dicetur.

405. — *Nota*. 1° Quemadmodum Ecclesia voluit legem residentie sancitam fore pœna canonica amissionis fructuum Præbendæ, ita et censuit canonicos non interessentes officiis chori privandos esse distributionibus quotidianis. Scilicet ad fovendam diligentiam canonicorum, jussit concilium Tridentinum, in singulis cathedralibus et collegiatis, ubi deessent distributiones quotidianæ, separari ab Episcopo, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegato, tertiam partem fructuum Præbendarum, aliorumque proventuum, quæ tum capituli dignitatibus, tum canonicatibus obtingat, eamque partem in quotidianas distributiones



converti, quæ inter dignitates obtinentes, et cæteros divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab Episcopo factam in ipsa fructuum deductione, dividantur.

Canonici igitur qui, exceptis casibus de quibus infra (nº 415), statutis horis non interfuerint, privantur ipso jure distributionibus quotidianis, quin necesse sit ullam sententiam intervenire; quod servandum edixit concilium Tridentinum, *quavis etiam collusionem, aut remissione exclusa*<sup>1</sup>. Per *collusionem* intelligitur pactum, saltem tacitum, quo canonici inter se convenirent distributiones singulis obventuras fore, sive absentes, sive præsentis fuerint, ut eadem sit omnium conditio. *Remissio* est condonatio facta, vi cujus servatur absenti, quamvis sine causa, sua pars distributionum. Concilium prohibet quominus ulla ratio habeatur hujus collusionis, seu remissionis, de qua conventum fuisset inter canonicos. Istius modi conventum, utpote initum contra mentem Ecclesiæ, vim nullam habere potest.

406. — 2º Leges canonicæ mox prolatae circa assistentiam choro et psalmodiam, urgent in Galliis, non secus ac in cæteris Ecclesiis; quandoquidem Sancta Sedes voluit ut in instauratione capitulorum, servaretur disciplina cui capitula cathedralia, vi juris communis, subduntur, et pluries decisum fuit pensiones

<sup>1</sup> Conc. Trid. sect. XXI, cap. III, *de Reform.* sect. XXII, cap. III, *de Reform.*; sect. XXIV, cap. XII, *de Reform.* Benedictus XIV, *Institutione* CVII, § VII. Ut lex servaretur efficacius, mos invaluit in Cathedralibus et Collegiatis designari unum aut plures *Punctatores*, qui notent absentes a toto officio, vel a parte, ut careant penitus distributionibus, aut partem tantum ipsorum, pro ratione negligentiae, assequantur. Quem usum innovare voluit concilium Aquense (anno 1850 habitum); decretum, suadente S. Congregatione, ita edixit ut renovetur « juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, modus ille vulgo *punctata* dictus, quo constabat de canonicorum in officio præsentia: multa autem ab Episcopo instituantur ex quota parte « civilium pensionum ad formam, seu saltem juxta mentem, concilii Tridentini. » Cap. II, *de Capitulis cathedralibus*, nº 5. — Hoc quidem videbatur difficile in praxi ipsis patribus concilii, nec hactenus observatum fuit in provincia; licet omnes exoptent ut procureretur observantia disciplinæ, quæ canonicos adigit ad assistendum officii chori.

a Gubernio civili solutas locum tenere honorum ecclesiasticorum<sup>1</sup>.

Id tantummodo concessum fuit, cum assensu saltem implicito Sanctæ Sedis, ut attentis circumstantiis, aliquatenus minueretur servitium chorale. « Ita rem componere curabunt Episcopi, ait « Conc. Parisiense, ut bis saltem in die canonici, ante scilicet et « post meridiem, choro interesse teneantur ad divina scilicet « canenda vel recitanda, et hoc chorale officium complectatur, « cum missa conventuali, saltem Tertiam, Sextam, Nonam, et « Vesperas cum Completorio. » (Tit. I, cap. VII.) « Quoniam vero, « aiunt Patres concilii Bituricensis, in præsentis rerum statu, « paucioribus Ecclesiæ nostræ cathedrales gaudent canonicis « qui integrum ad officium in choro decantandum minime sunt « pares, statuimus postquam obtenta fuerit ab Apostolica Sede « dispensatio, ut in omni provincia nostra singulis diebus missa « capitularis, vel sine cantu, vel, si aliter statutum fuerit, cum « cantu dicatur, præmissa Tertia, et subsequente Sextæ psalmodia. Decernimus pariter ut in choro recitentur, vel, si visum « fuerit, decantentur Nona et Vesperæ cum Completorio; do- « minicis et festis de præcepto diebus servato cantu, tum Missæ, « tum Officii vespertini. » (*Decretum de capitulis cathedralibus.*) Ita fuit in aliis provinciis usu, aut statutis diocesanis, vel decretis conciliorum ordinatum propterea quod impossibile visum est instaurari ex integro recitationem omnium horarum canonicarum. Id solum discrimen inter decreta conciliorum observatur, quod dum aliis visum est Episcopos potuisse rem ordinare pro temporum præsentium conditione, ex facultatibus a Card. Legato concessis, alia decreverunt recurrendum esse de novo ad Sanctam Sedem; sed ex omnium consensu intercedere debuit auctoritas S. Pontificis hoc in puncto, quoniam agebatur de jure communi in re gravis momenti.

<sup>1</sup> Responsum fuit eodem sensu a Congr. Rituum, de canonico in Galliis, qui assistit quidem in choro, sed non decantat publicas preces, *Canonicum in casu, juxta alias decreta, obligationi non satisfacere.* 22 maii 1841.



\*407. — IV. APPLICATIO MISSÆ CAPITULARIS.  
Perantiqua est lex quæ præscripsit ut singulis diebus Missa celebraretur in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, et applicetur pro earumdem benefactoribus in genere, eodem prorsus modo quo Missa parochialis ab illis qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis diebus festivis de præcepto applicari debet.

Hanc missam conventualem celebrandam esse cum cantu supponunt plures declarationes S. Congr. Rituum. Concessum tamen fuit nonnullis capitulis, ratione habita paucitatis canonicorum, ut exceptis dominicis et festis diebus, Missa legatur absque cantu, quod certe tuto conscientia servari potest, ubi legitima auctoritate sancitum fuerit.

Gravius urget obligatio Missam conventualem applicandi benefactoribus; quam tanti esse momenti iudicavit Ecclesia, ut nulla contra eam prævalere possit consuetudo. « Pluries etenim responsum fuit, ait Benedictus XIV, huiusmodi consuetudinem licet immemorabilem, quæ potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari. » (*Cum semper*, § 16.) Declaratum insuper fuit, debitum Missæ capitularis respicere, non quidem singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere Ecclesiæ ejus servitio addicti sunt canonici; quamobrem nullatenus satisficit legi, si, acceptata speciali fundatione, capitulum præsumat Missam conventualem applicare pro uno defuncto in particulari. Debet, in eo casu, duplicem Missam conventualem celebrare: unam pro benefactoribus in genere, alteram ad implendum onus fundationis<sup>1</sup>.

Si difficile sit dignoscere quinam sint benefactores, v. g., in capitulis hodiernis Galliæ, Missam applicant canonici ad mentem Ecclesiæ.

408. — V. ASSISTENTIA CONVENTIBUS CAPITULARIBUS.

<sup>1</sup> Cf. Pignatelli, tom. I, *Consult.* cccxxiv; — Benedict. XIV, *Instit.* c. vii, § xii et xiii.

Canonici tenentur convenire in cœtum capitulare, quando rite convocantur. Hæc obligatio est aliquando sub gravi; si nimirum negotium grave pertractari oporteat, v. g., reformationem abusus, disciplinæ instaurationem, electionem vicarii capitularis Sede episcopali vacante, et præsentia videatur valde expedire ad felicem exitum rei, in bonum religionis. Nec a culpa gravi immunes reputamus canonicos qui, ob frequentem negligentiam in conveniendo, causa sunt cur convocationes rarius fiant, ac paulatim in desuetudinem veniant, non sine detrimento disciplinæ.

409. — III<sup>o</sup> Quæ sint obligationes dignitatum et canonicorum qui officium possident?

Munia dignitatum capituli, atque obligationes officiis annexas, definiunt statuta, et etiam probatæ locorum consuetudines. Quæ jus commune præscripsit, paucis indicare sufficiat.

Prima dignitas, quæ reputatur caput collegii, invigilare tenetur ut, tum in choro, tum in cœtibus capitularibus, cuncta debite serventur ex præscripto sanctorum canonum et statutorum specialium.

Archipresbyter, quando munere parochi fungitur, debet pastoralis sollicitudine implere officia quæ sunt propria parochorum, sacramentorum administratione, prædicatione verbi divini, parvulorum instructione, pauperum et infirmorum cura...

Officium theologicis a conciliis Lateranensibus iv et v institutum fuit in favorem præsertim clericorum, ut scilicet in singulis Ecclesiis metropolitanis et cathedralibus esset theologus qui « sacerdotes et alios in sacra pagina doceat, et in his præsertim informet quæ ad curam animarum attinere dignoscuntur, » ut dicitur in cap. *Quia nonnullis*, 4, DE MAGISTRIS, lib. V Decret. Idem officium commendavit synodus Tridentina suoque decreto iterum in omnibus cathedralibus institui mandavit, « ne cœlestis iste sacrorum librorum thesaurus quem Spiritus sanctus summâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat. »



Episcoporum est, pro suo prudenti arbitrio, determinare materiam, modum, tempus atque locum lectionum; ita tamen, ut ratio habeatur scopi Ecclesiae in instituendo officio theologalis, et consuetudinum approbatarum. Ab eo fine recederet qui, loco sacrae Scripturae, doctrinam christianam explicaret in modum catecheseos, juxta morem parochorum; theologalis enim non tam ad populi quam ad cleri institutionem destinatus est; quapropter debet aut sacras Scripturas interpretari, aut dogmata theologica exponere<sup>1</sup>. Quoad vero modum, num theologali liceat scripto uti nec ne, S. Congregatio dubium resolvit in eo sensu quod theologalis, modo non abutatur ita legendo materias ut fastidium auditoribus afferat, possit « chartula uti ad fovendam memoriam eorum quae docet, cum theologus non debeat « concionari, sed more doctorum docere. » Theologali permissitur vacare a lectionibus, more aliorum magistrorum qui in universitatibus per certum tempus, tribus aut quatuor mensibus ferri solent. Extra illud tempus, munere suo fungi debet, ex praescripto concilii Lateranensis v, semel saltem in hebdomada, legitimo impedimento cessante. « Quod tamen intelligendum « videtur, ait Pignatelli, si adsit necessitas. Unde S. Congregatio Episcoporum declaravit canonicum S. Petronii Bononiensis non teneri legere, quod nulla ejus lectionis adesset « necessitas, et quod ejus antecessores nunquam legerint. » (Loc. cit., n° 58.)

Poenitentiarius, legitime institutus, habet a jure facultatem audiendi confessiones, et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis, absque ulla alia Ordinarii licentia. Non potest tamen absolvere a casibus in dioecesi reservatis, nisi Episcopus specialem super hoc facultatem ei concesserit. Tenetur omnes fideles ad se venientes recipere, et integras illorum confessiones audire. Quinimo debet assistere de mane, etiam non vocatus, in

<sup>1</sup> Cf. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ix, n° 17; — Dissertationem insertam in *Thesauri resolutionum*, tom. CVII, pag. 347-373, 26 jun. 1847; — Pignatelli, tom. III, *Consult.* LXII.

sua sede confessionali, festis solemnioribus, et tempore Quadragesimae, et Adventus, aliisque diebus quando solet esse major fidelium concursus<sup>1</sup>.

Haec, eadem ratione quam pro theologalis officio mox innuebamus, pensanda sunt juxta Ecclesiarum necessitates.

\* 410. — IV° *Quae causae excusent canonicos a suis obligationibus?*

Tres potissimum causae eximunt canonicos ab onere residentiae, et assistentiae debitae choro, scilicet: officium, infirmitas, et vacationes jure concessae.

I. *Ratione officii* eximuntur: 1° duo canonici quos Episcopus assumit in ministerium publicum regiminis dioecesis. Ex cap. *Ad audientiam*, 15, DE CLERICIS NON RESIDENT. « Hoc est, « ait Fagnan, privilegium speciale Episcopi, ut possit pro suo « servitio uti opera duorum canonicorum, etiam sine consensu « capituli, et non probata Ecclesiae utilitate. » (In cap. *de Cætero*, n° 5, eod. tit.) Textus juris statuit tantummodo de duobus canonicis: nihilominus tamen si ob dioecesis amplitudinem, Episcopum urgeat necessitas tertium vel etiam quartum canonicum duobus prioribus adjungendi in adjuvamen regiminis, illos poterit accire, modo provideat ne servitium chorale detrimentum exinde patiat. Cap. *Consuetudinem*, eod. tit. in v<sup>o</sup>, illud videtur innuere, dum a lege generali de assistentia choro excipit *quos evidens Ecclesiae utilitas excusaret*, non expresso numero, sed re prudenti arbitrio Episcopi tacite dimissa. Eam ob causam haud improbabile videtur Episcopo fas esse, eadem adhibita cautione, uti ministerio canonicorum, quando gravis necessitas exposcit; v. g. ad praedicationem jubilaei, ad providendum per breve tempus parochiae suo pastore orbatae; siquidem leges eo moderamine sunt interpretandae ut urgentioribus necessitatibus prospiciatur. Aliter autem dicendum si canonicus sponte sua velit, sive intra sive extra dioecesim, in aliis

<sup>1</sup> Ferraris, v° *Canonicatus*, art. ix, n. 45-78.



ecclesiis prædicare; id munus quo a suo officio distraheretur assumere non potest tuta conscientia, ne assentiente quidem Episcopo. 2º Eximuntur etiam canonici qui pro negotiis capituli deputantur Romam vel ad concilium provinciale. 3º Tandem eximuntur canonici qui suo muneri deserviunt tempore quo divina officia in choro peraguntur; quod contingere potest satis frequenter archipresbytero, pœnitentiario, et theologali.

*Nota.* Excusatio ratione officii protrahi non debet ultra moralem necessitatem. Privilegium jure concessum non aliter prodest quam ut canonici inquietandi non sint in foro externo, et habeant in sui favorem juridicam præsumptionem, quando choro non adstant. Theologalis, tota die qua legit, censetur præsens choro.

\*411. — II. Ratione *infirmittatis* eximuntur ab onere assistentiæ choro qui morbo gravi laborant, adeo ut non possint absque notabili sui incommodo publicis officiis interesse.

Ea occasione canonistæ disserunt de canonicis *jubilatis*, qui nimirum per quadraginta, ad minus, annos, munus suum regulariter obierunt. Cum Gregorius XIII approbavisset statutum alicujus capituli quo provisum erat ne in tali casu canonicus, quamvis absens a choro, amitteret fructus præbendæ et distributiones, hæc consuetudo paulatim invaluit quæ pro lege suscepta est. Duo tamen notanda sunt: 1º Privilegium, quatenus derogat juri communi et aliquod nocumentum infert servitio chori Ecclesiæ cathedralis, stricte interpretari debemus in gratiam solummodo canonicorum qui per tempus determinatum suo officio laudabiliter functi sunt. 2º Episcopus potest, privilegio non obstante, canonicum revocare ad chorum, quando id necessarium judicat ad decentiam cultus publici<sup>4</sup>.

\*412. — III. Ratione *vacationum* quas jus commune con-

<sup>4</sup> Cf. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. IX, n° 15.

cessit, canonici possunt per tres menses absentes esse a sua Ecclesia. Non indigent licentia Ordinarii ut facultate sibi jure concessa utantur, nisi forte velint extra diœcesim peregrinari. Potest autem Episcopus, si sufficienter non fuerit in statutis provisum, regulas capitulo indicare ne eodem tempore plures canonici sint absentes, neve ab Ecclesia absint tempore majorum solemnitatum<sup>1</sup>. Ita pluries fuisse decisum referunt Barbosa, *de Canonicis*, cap. XX, n° 5-6, et Benedictus XIV, *Instit.* CVII, n° 34-37. Insuper Episcopus jure potest, si opportunum duxerit, præscribere canonicis, sive per statutum generale, sive per mandatum personale, ne discedant e diœcesi tempore vacationum, non prius obtenta licentia; de quo sequentem declarationem S. Congregationis notatu dignam memorat Benedictus XIV: « S. Congregatio tametsi declaraverit nullam requiri licentiam ad hoc ut canonici possint abesse mensibus permisis a concilio, censuit tamen hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties canonici abesse volunt extra diœcesim; ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Cæterum Episcopum non debere illam, absque rationabili causa, negare. »

413. — Vº *Utrum canonici qui eximuntur a servitio chori propter causas assignatas, possint nihilominus percipere distributiones quotidianas et manuales?*

I. Quoad distributiones *quotidianas*, dici potest generatim illos solummodo distributiones lucrari, qui fictione juris censentur præsentés, juxta cap. *Consuetudinem* præcitatum, quo Bonifacius prohibuit ne distributiones fiant iis qui non fuerint præsentés, « exceptis illis quos infirmitas, seu justa et ra-

<sup>1</sup> Ex praxi et declarationibus S. Congregationis, tertia pars solummodo canonicorum abesse simul possunt; tertia autem pars computanda est ex integro capitulo, exceptis casibus legitimi impedimenti in quibus integrum est Episcopo numerum choralium præfinire, habito respectu ad necessitatem servitii Ecclesiæ. Decret. an. 1725. Decret. 7 junii 1856. Communius excipiuntur in indultis tempora Adventus et Quadragesimæ.



« tionabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ necessitas, « excusaret. »

Hinc concludimus 1° Canonicos absentes ratione vacationum non lucrari distributiones quotidianas, nisi ob corporalem infirmitatem versentur in necessitate abscedendi. 2° Nec etiam vicarios generales, aliosve officiales Episcopi aut capituli qui non assistunt choro, dum interesse possent non obstante suo officio, distributiones quotidianas lucrari. Ita fuisse resolutum quoad utrumque casum refert Benedict. XIV loco citato, n<sup>is</sup> 56, 57, 58. 3° Lucrari distributiones qui actu detinentur ab Episcopo ob utilitatem diœcesis, sive ut ei celebranti assistant... item qui ab Episcopo vel a capitulo deputantur Romani, vel ad concilium provinciale... qui domi retinentur infirmitate... Theologalem die quo suo munere fungitur, Archipresbyterum, Pœnitentiarium, dum suis officiis vacant.

II. Quoad distributiones *manuales*, quæ nimirum fiunt occasione alicujus servitii extraordinarii, ut puta anniversarii, seu funeris ad quod canonici invitati sunt, ratio habenda est intentionis donatorum. Si fundator expetierit anniversarium celebrari a capitulo, non adjecta conditione ut distributio fiat tantum inter præsentem, standum erit consuetudini locorum: porro usu receptum arbitramur ut res eodem modo componantur ac pro distributionibus quotidianis. Meminerint vero quotquot convocantur ut officio anniversarii vel defuncti exsequiis intersint, teneri titulo non solum pietatis, sed etiam justitiæ, adesse officiis, et preces pro defuncto offerre.

444. — *Utrum et quatenus Episcopus teneatur invigilare ne capitulum et canonici suo officio desint?*

Episcopus debet paterno moderamine et affectu habere capitulum, et dimittere dignitatibus curam providendi recto illius regimini, quod tamen pastoralem sollicitudinem non excludit. Si enim dignitates suo officio, ea qua par est diligentia, fungi negligant, aut si abusus irrepserint quibus evellendis non suffi-

cient, Episcopus non solum jure potest, quin etiam strictè tenetur sua auctoritate intercedere, ut cuncta ad præscriptum sacrorum canonum componantur, quantum sinit conditio temporum. Hinc concilium Tridentinum voluit ut « capitula « cathedralium et aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque « personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, « juramentis, concordiis, quæ tantum suos auctores obligent, « non etiam successores, tueri se possint, quominus a suis Episcopis, per seipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur ad- « junctis, juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, « visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate apostolica, pos- « sint et valeant. » (Sess. vi, cap. iv.) In alio decreto, nempe in cap. vi, sess. xxv, idem concilium declarat Episcopum, ejusque loco vicarium ab eo deputatum, posse etiam extra visitationem procedere ex officio, vel ad petitionem alicujus, adjunctis duobus de capitulo, et formam in processu servandam describit, statuendo nihilominus has restrictiones locum non habere « in « iis Ecclesiis in quibus Episcopi, aut eorum Vicarii, ex consti- « tutionibus, aut consuetudinibus, seu quocumque alio jure, « majorem habent potestatem, auctoritatem ac jurisdictionem, « quam præsentem decreto sit comprehensum, quibus sancta sy- « nodus derogare non intendit. »

Potest proinde Episcopus, non solum edicere mandata (n<sup>o</sup> 595), sed visitare capitulum et singulares canonicos, ut, quantum opus fuerit, emendet atque corrigat abusus forte introductos, rationes honorum temporalium capituli examinet, disciplinam chori instaurari provideat. Valet præterea, servata forma, procedere in canonicos absentes a choro, vel aliter contra canones delinquentes, usque ad privationem tituli.

ARTICULUS V. — DE JURIBUS CAPITULORUM ET CANONICORUM.

In prima parte *Prælectionum canonicarum* diximus de jure capitulis cathedralibus tributo providendi regimini diœcesis,